

crepationis et propriae reprehensionis, ne quando tibi irascatur Dominus, et pereas de via iusta, et cadas. Et breviter sequere utilem Anselmi doctrinam: "Omnia, inquit, interiora tua, et ea quae agis inspicias, et ad quem finem quaeque perventura sint videas. Et credo, nisi insanus sis, ea facies unde felicitatem et gaudium recipies; ea vero dimittes, unde tormenta et tristitiam mercaris": haec Anselmus.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XIII, 24-30.

In illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile factum est regnum caelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

24. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abijt.

25. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.

26. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo: unde ergo habet zizania?

27. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea?

28. Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradiceis simul cum eis et triticum.

29. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

Homilia S. Augustini Episcopi.
QUAEST. IN MATTH., XI.

883 **C**UM negligentius agerent praepositi Ecclesiae, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus et superseminavit eos quos malos filios Dominus interpretatur. Sed recte quaeritur utrum haeretici sint, an male viventes catholici. Possunt enim dici filii mali etiam haeretici, quia ex eodem Evangelii semine et Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui unitus communionis sunt: verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum inter-

pretatus est, bene intelliguntur haeretici, quia non societate unitus Ecclesiae vel unitus fidei, sed societate solius nominis christiani in hoc mundo permiscetur bonis: ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania deputentur; quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem. In illa plane sagena, qua concluduntur et mali et boni pisces (MATTH. XIII, 47, 50), non absurde mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat; aliud sagena, quae unitus fidei vel unitus Ecclesiae communionem videtur ostendere. Inter haeticos et malos catholicos hoc interest, quod haeretici falsa credunt, illi autem vera credentes non vivunt ita ut credunt.

Solet autem etiam quaeri, schismatici quid ab haeticis distent; et hoc inveniri quod schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas. Sed utrum inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autem videntur spicis corruptis esse similiores, sicut scriptum est: *Vento autem corruptetur filius iniquus* (SAP. IV, 4): vel paleis aristarum fractis, vel scissis et de segete abruptis. Quo enim altiores, id est, superiores, eo fragiliores levioresque sunt. Nec tamen consequens est ut omnis haeticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinae quae ad fidei pertinet adificationem, ita ut non quaerentis cunctatione temperatus sit, sed inconcusse credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, haeticus est, et foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiae suae, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc per-

luntur. Item, quicumque invident bonis, ita ut quaerant occasiones excludendi eos, aut degradandi; vel crimina sua sic defendere parati sunt, si obiecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregationes vel Ecclesiae perturbationes cogitent excitare; iam schismatici sunt, et ab unitate corde discissi, etiamsi non inventis occasionibus aut occultatis factis suis Sacramento Ecclesiae corporali conversatione sociantur.

985 Quapropter illi soli catholici mali recte deputantur, qui quamvis vera credant quae ad fidei doctrinam pertinent, et si quid forte nesciunt quaerendum existiment, et salva pietate discunt sine aliquo praedicio ipsius veritatis, et bonos vel quos bonos putant ament atque honorent quantum possunt; tamen flagitiose atque facinorose vivunt, contra quam vivendum esse credunt. Tales enim etiamsi prodantur aut accusentur, pro disciplina Ecclesiae salutisque suae causa correpti, vel a communione suspensi, nullo modo sibi recedendum esse a communione catholica existimant, quocumque permissi fuerint satisfactionis quaerentes locum: et aliquando per poenitentiam in frumenta mutantur, sive correpti, sive remoti, sive etiam verbo Dei nullo nominatim accusante aut increpante perterriti. Aliquando autem etiam sub nomine poenitentium ita vivunt ut solent, aut non multo minus, quidam etiam amplius; nullo modo tamen a catholica unitate discedunt. Quibus ita viventibus si mors obrepserit, paleae deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt: nam si aliter credunt, et inconcusse tenent, iam inter haeticos numerandi sunt, putantes omnibus Deum, etiam in magna iniquitate usque in finem vitae perseverantibus, tantum quia Ecclesiae unitatem, non sincera dilectione (nam bene viverent), sed magis poe-

narum timore tenuerunt, veniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, vel non firmiter opinantur, etsi adhuc forsitan quaerunt: sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius victuros putant, et perditos mores aliquando in melius mutaturos. Contra quos dicitur: *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem: subito enim veniet ira eius, et in tempore vindictae disperdet te* (ECCLE. V, 8, 9). Illi enim convertuntur, qui recte vivere incipiunt; hoc est enim ad Deum redire: qui autem concupiscentias suas perseveranter sequuntur, dorsum quodammodo habent ad Deum, quamvis in unitate constituti saepe illum retorto collo conentur aspicere. Ergo et isti, ut ait Propheta: *Caro sunt, et spiritus ambulans et non revertens* (PSAL. LXXVII, 39). Sed tamen, ut dictum est, propter eandem fidem atque unitatem Ecclesiae, neque inter zizania, quoniam illa extra radicata sunt, neque inter aristarum paleam, quae se etiam frumentis audet aspera dissensione et fragili elatione superimponere, sed quamvis subiectam frumentis, tamen inter paleam quae ultima ventilatione separanda est, numerantur.

985 Boni autem catholici sunt, qui et fidem integram sequuntur et mores bonos: quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quaerunt, si quid quaerendum habent, ut absit concertatio periculosa, vel quaerenti, vel ei cum quo quaeritur, vel eis qui disserentes audiunt. Ita autem docent, si quid docendum habent, ut usitata et confirmata securissime, et fidentissime, et lenissime, ut possunt, insistent: inusitata vero, etiamsi veritatis manifestatione liquidissima perceperunt, quaerendi potius quam praeciendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si enim tantum habet pondus aliquid verum, ut vires discentis

excedat; suspendendum est ut extendat crescentem, non imponendum ut obturat parvulum. Inde est illud Domini: *Sed Filius hominis cum venerit, putas, inveniet fidem in terra?* (LUC. XVII, 8). Aliquando autem et occultandum est, sed cum spe hortatoria, ut non faciat desperatio frigidiores, sed desiderium capaciosius. Inde est illud eiusdem Domini: *Multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo* (IOANN. XVI, 12).

987 Quod vero ad mores pertinet, hoc bene et breviter dicitur; aut confligendum est cum amore temporalium bonorum, ut non vincat; aut etiam edomitus subditusque esse debet, ut cum surgere coeperit, facile reprimatur; aut ita extinctus, ut se omnino nulla ex parte commoveat. Ex quo fit ut etiam ipsam mortem propter veritatem alii fortiter obeant, alii aequanimiter, alii libenter. Quae tria genera fructus sunt fertilis terrae, triceni, et sexageni, et centeni (MATTH. XIII, 8, 23). In horum aliquo genere inveniendus est tempore mortis suae, si quis de hac vita recte cogitat emigrare.

988 Toleranda sunt autem non solum zizania usque ad messem, quae cum diabolus aspersis pravis erroribus falsisque opinionibus superseminasset, hoc est, praecedente nomine Christi haereseos superficisset, magis ipse latuit atque occultissimus factus est; hoc est enim: *Et abiit*; sed etiam palea usque ad ventilationem. Nec probatur fortius gravitas frumentorum, nisi paleae perturbationibus, quas qui comprimere non potuerit veritate defensa, cesserit unitate servata. Quamquam in hac parabola Dominus, sicut in eius expositione conclusit, non quaedam, sed omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur.

989 *Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.* Cum

enim spiritualis homo esse coeperit diudicans omnia (I Cor. II, 15), tunc ei errores incipiunt apparere. Servi autem dixerunt ei: *Vis imus, et colligimus ea?* Utrum ipsi sunt servi, quos paulo post messorum appellat? an quia in expositione parabolae messorum dixit esse Angelos, nec quisquam facile dicere ausus fuerit Angelos nescisse quis zizania superseminaverit, et ea tunc apparuisse Angelis cum herba fructum fecisset; magis oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit? Nec mirum si et bonum semen ipsi dicuntur, et servi patrisfamilias: sicut et de se ait, quod et ipse sit ianuarius, ipse sit pastor (IOANN. X, 7, 11). Ex diversis enim significationibus una res etiam plures et diversas similitudines recipit. Praesertim quia cum ad servos loqueretur, non ait: *In tempore messis, dicam vobis, Colligite primum zizania; sed Dicam, inquit, messoribus.* Unde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quemquam Ecclesiae filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere.

Cum igitur esse quisque spiritualis 990 coeperit, cognoscit errores haereticorum, et omnino diudicat atque discernit quidquid audierit aut legerit abhorreere a regula veritatis: sed donec in eisdem spiritualibus perficiatur, et quodammodo maturescat in fructum quem herba dedit, potest eum movere, quare sub nomine christiano tam multae haereticorum exstiterint falsitates. Inde est quod servi dicunt: *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* Deinde cum cognoverit hanc exogitasse fraudem diabolus, cum contra tanti nominis auctoritatem nihil se valere sentiret, ut fallacias suas eodem nomine obtgeret; potest ei suboriri vo-

luntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem; sed utrum facere debeat, iustitiam Dei consultat utrum hoc ei praecipiat, vel permittat, et hoc officium esse hominum velit: hinc est quod servi dicunt: *Vis, imus, et colligimus ea?* Quibus quia Veritas ipsa respondet, non ita hominem constitutum esse in hac vita, ut certus esse possit qualis quisque futurus sit postea, cuius in praesentia cernit errorem, vel quid etiam error eius conferat ad proventum bonorum; non esse tales auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt; aut bonis obsit, quibus et invitum forte utiles sunt: sed tunc opportune fieri, cum iam in fine non restat vel tempus commutandae vitae, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris; tunc autem hoc non ab hominibus, sed ab Angelis fieri: inde est quod respondet paterfamilias: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum: sed in tempore messis dicam messoribus, et cetera.* Atque hoc modo eos patientissimos et tranquillissimos reddit.

991 Quaei autem potest, quod ait: *Alligate fasciculos ad comburendum*, cur non unum fascem, aut unum acervum zizaniorum fieri dixit? Nisi forte propter varietatem haereticorum, et non solum a tritico, verum etiam a seipsis discrepantium, ipsa uniuscuiusque haereseos propria conventicula, in quibus singillatim sua communione devincti sunt, nomine fasciculorum designavit: ut iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum a catholica communione segregati suas proprias quasi ecclesias habere coeperint; ut combustio earum sit in fine saeculi, modo alligatio fasciculorum. Sed si ita esset, non iam multae respiscen-

do, et in Catholicam remeando ab errore desciscerent. Quapropter et alligatio fasciculorum in fine futura est, ut non confuse, sed pro modo perversitatis suae uniuscuiusque erroris pertinacia puniatur.

992 *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum.* Utrum quia etiam boni cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtione, sive ut per eos exercentur, sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, ut nitantur ad melius, quibus sublatis altitudo charitatis quasi evulsas marcescat, quod est eradicari? Nam sic ait Apostolus: *Ut in charitate radicati et fundati, possitis comprehendere* (EPHES. III, 17, 18). An forte ideo simul eradicatur triticum, cum auferuntur zizania, quia multi primo zizania sunt, et postea triticum fiunt? qui nisi patienter, cum mali sunt, tolerentur, ad laudabilem mutationem non perveniunt: itaque si evulsi fuerint, simul eradicatur et triticum, quod futuri essent, si eis parceretur.

Varia de sanctif. fest., ex Benedicto XIV.
(INSTITUTIO LXX, n. 6-11).

VI

993 NEMINEM latet ob eiusmodi violationem publici inferri scandalum, ex quo divina in nos, nostramque Dioecesim ultio dimanat: *Quandodam* (inquit S. Carolus Borromeus) *publica peccata, ea maxime, quae divinum cultum anoluntur, in plebem vehementius irritant iram Dei, nobisque ex officio incumbit, opportunis ea remediis submovere, etc.*

994 VII Ex eodem fonte innumera prope damna profiunt, quae verbis Clementis V complectemur: *Ex quibus sequitur, quod Lex Fidei, Articuli Fidei, et alia, quae ad Religionem Fidei Christianae, et salutem animarum pertinent, a Fidelibus quasi totaliter ignorantur, ex hoc Deus blasphematur, diabolus reveretur, percontantur animae, Fides Catholica sancitur.*

995 VIII Sed quoniam a violatoribus dierum Festorum, et a Parochis ipsis, qui omni Religione preta,

negligenter in hoc negotio se gerunt, pro causa excusationis necessitas ruralium operum adducitur, plura monenda per has nostras litteras existimamus. Ac primum Festis diebus servilia opera penitus interdici. Secundo inter ipsa, ruris opera adnumerari. Tertio, si necessitas interveniat, ruris opera, licet servilia exercei posse, quia preceptum sanctificationis infringatur. Quarto veram necessitatem re ipsa intercedere debere, non ultra quae sitam, uti plerumque contingit, cum in idem festum relictiur ea, quae fieri pro festis diebus poterant. Postremo eandem necessitatem ab illis, qui praesunt, cognoscendam, et probandam, ne imperitus quisque causam suam diiudicet.

996 IX. Primum quidem ab Exodo sine ulla controversia deprehenditur: *Memento, ut diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo tu, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, iumentum tuum, et advena, qui est intra portas tuas.* Hoc fundamentum in dicitur preceptum sanctificandi dies festos. Theologi vero se iungentes ea, quae ad caeremonias per Christi Adventum sublatae, et ea quae ad mores pertinebant, quaeve in novam legem a veteri tractata fuerunt, rem totam ad tria capita redigunt, quibus abstinendum prorsus est, cum dies festus agitur, nempe ad opera servilia, nundinas, causasque forenses.

997 X. Secundum facile ostenditur, si diversa opera expendantur, quibus Adam in Terrestri Paradiso, et ipsis posteritas in excelentis agris detinetur: *Tulit ergo (legitur Genesis capite 11) Dominus Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum.* Hanc sententiam explanans S. Augustinus haec tradit: *Quid abhorret, si credamus, hominem ita in Paradiso constitutum, ut operaretur agriculturam non labore servili, sed honesta animi voluptate? Non erat laboris afflictio, sed exultatio voluptatis... unde Creator ipse uberius laudaretur. Quid hoc opere innocenti vacanti, et quid plenius magna consideratione prudentibus? Postquam vero peccavit Adam, hanc poenam pro nefario scelere Deus indixit: *Malidicta terra in opere tuo: in labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae spinas, et tribulos germinabit tibi.* Quamobrem cum in poenam conversus sit id, quod pro voluptate datum fuerat, ideo ruris opera inter servilia referuntur. Hinc in Concilio Aurelianensi III, quod anno 538 coactum fuit, cum S. Silverius Pontificatum gereret, Canone 28 haec habentur: *De opere tamén rurali, id est, aratro (sive ut alii putant) aratura, vel vinea, vel sectione, missione, excussione, exarto, vel saepe coisimus abstinendum, (sermo est de Festis die-**

bus) quo facilis ad Ecclesiam convenientes orationis gratia, vacent. Idem Imperatorum legibus sancitur. Nam Leo sapiens, cum legem Constantini, de qua paulo inferius agemus, sacculo IX temperaret, haec constituit: *Neque Agricola, neque quispiam alii in illo (res est de Dominico) die, ideoque de reliquis pariter Festis diebus illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quandam, atque figuram observabant, tantopere Sabbati diem venerabatur, ut ab omni prorsus opere abstinerent, quomodo, qui gratiae lucem, ipsamque veritatem volunt, etc., diem, qui a Domino honore distans est, nosque ab exitiis dedecore liberavit, non venerari par est?*

XI. Sed potissimum in Capitulari Aquigrani Carolus Rex anno 789 ita decrevit: *Statuimus quoque, secundum quod et in lege Dominus precepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut et bonae memoriae genitor meus in suis synodibus edictis mandavit, quod nec viri ruralia opera exercent, id est, nec in vinea colenda nec in metendo, vel foenum secando, vel sepe ponendo, nec in silvis stirpare, vel arbores cadere, vel in petris laborare, nec domos construere, nec in horto laborare, nec ad placita conveniant, nec venationes exercent.*

FERIA SECUNDA

Homilia S. Thomae Aquinatis.

IN MATTHAEUM CAP. 13.

999 SUPRA posuit parabolam, in qua ostendebatur impedimentum evangelicae doctrinae ab extrinseco; hic ponitur alia parabola, in qua ponitur impedimentum de audienda doctrina, quod est ab intrinseco, quia in hac ad nos trahuntur ea, de quibus ingenia solent sollicitari. Primo ergo docet de origine boni et mali; secundo de processu; tertio de fine. Secundum ibi, *Cum autem crevissent*, etc. Tertium ibi, *Et in tempore messis dicam messoribus*, etc. Circa primum notantur duo. Primo de origine boni; secundo mali, ibi, *Cum autem dormirent homines*, etc. Dicit ergo: *Aliam parabolam proposuit illis.* Et quibus? Eis. Dico non Apostolis tantum,

sed etiam turbis. Unde cum primam in navi exposuisset Apostolis, convertit se ad turbas. *Aliam*, non alteram; quia non solum proposuit duas parabolas, sed plures; alterum vero unum de duobus dicitur. Plures autem posuit, ut pluribus dispositionibus subveniret. Quidam enim afficiuntur in uno, quidam in alio. *Simile factum est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.* In regno continetur rex, et hi qui reguntur: et isti sunt homines coelestes, qui facti sunt aequales angelis; Ps. XC, II: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, etc. Homini qui seminavit bonum semen.* Tres parabolae ponuntur consequenter de semine. Prima de semine seminato; secunda de semine inspirato; tertia de semine multiplicato. Secundum intentionem litterae, aliter quam supra accipitur semen. Seminatur enim semen quod seminatur in homine, et hoc est verbum Dei, sicut habetur Luc. xxii. Hic autem accipitur ipse homo, in quo seminatur. Et hoc patet, quia infra dicit quod semen istud sunt filii regni; unde non est alia facienda expositio ab ea quam Dominus fecit. Et dicitur semen, quia sicut semen est principium propagationis, sic homines boni fundamentum totius fidei; unde ex Apostolito tota Ecclesia pullulavit. Unde Is. 1, 9: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset.* Et istud fuit bonum semen, de quo Is. vi, vers. 13: *Semen sanctum erit id quod steterit in ea.* Istud seminavit Christus, et ubi? *In agro suo*, id est in mundo. Mundus enim dicitur ager, in quo sunt boni ac mali, quem Dominus per creationem edidit; unde Ioann. 1, 10: *Mundus per ipsum factus est.* Et in Psal. XLIX, II: *Pulchritudo agri mecum est. Cum autem dormirent homines*, etc. Habito de ori-

gine boni, hic agit de origine mali. Et primo ponitur occasio malitiae illatae; secundo ordo. Et primo ponitur occasio duplex: una est ex parte custodum, secunda ex parte seminantis. Ex parte custodum dicit: *Cum autem dormirent homines*, etc., id est praepositi humani generis, qui positi sunt ad custodiendum, dormirent, scilicet per dormitionem mortis, Sancti scilicet Apostoli qui moverunt quod haeretici in Ecclesia miscerunt se tritico; unde Paulus (Act. xx, 29): *Scio quod post decessum meum intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Deinde ponitur alia occasio; unde dicit: *Veni inimicus*, etc., id est diabolus; Psal. LXXIII, 23: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper: eorum qui te oderunt, id est daemonum.* Haec autem inimicitia est secundum perversitatem voluntatis.

1000 Sed est questio. Estne hoc verum quod aliqua res odiat Deum? Dicendum, quod amor non est nisi rei cognitae. Dupliciter autem potest cognosci Deus: in se, vel in suis effectibus: in se impossibile est quin ametur: quidquid enim amatur, amatur sub specie boni. Cum ergo sit prima bonitas, odiri non potest. Sed in effectibus suis non est impossibile. Daemones enim in quantum sunt, cum amant a quo sunt; sed aliqui effectus displicent eis, quod scilicet contra voluntatem suam puniuntur, quod non ad voluntatem suam puniunt homines, et similia.

1001 Sequitur de ordine: *Et superseminavit zizania.* Singula verba habent magnam significationem. Videamus ergo quid est quod seminatur, et qualis est ordo. Quod seminatur est zizania, quae similis est tritico, et lolium vocatur. Quid significatur per zizania? Filii nequam, et omnes qui iniquitatem diligunt, specialiter haeretici. Tria sunt

genera malorum: pravi catholici, schismatici et haeretici. Mali catholici per paleas significantur, de quibus supra cap. iii, 12: *Paleas comburet igni*. Schismatici per aristas. Haeretici per zizaniam. Seminantur ergo in agro, idest in hoc mundo. Item zizaniam habet similitudinem cum tritico, sic isti praetendunt speciem boni, ut habetur prima Tim. 1, 7: *Volentes esse legis doctores, et non intelligentes neque quae loquantur, neque de quibus affirmant*.

1002 Et nota quod dicitur supra, *Seminavit*, et hic non; quia prius fuerunt catholici, quam haeretici. Diabolus enim videns Ecclesiam dilatari, invidit, et seminavit corruptivum, et movit corda haeticorum, ut magis noceret; unde *ex nobis erant*, secundum quod habetur in I Canonica Ioannis 11, 19, *sed ex nobis non erant, quia si ex nobis fuissent, permansissent utique nobiscum*. Item dicit, *In medio tritici*. Non curat diabolus quod aliqui sint haeretici inter Gentiles, quia omnes possidet; sed in medio tritici et fidelis populi. Et hoc est quod dicitur Iob 14, 18: *et in angelis suis reperit pravitatem*. Et Augustinus dicit, quod nulla societas est ita bona quin aliquis sit pravus: unde in societate Apostolorum unus fuit malus, scilicet Iudas. Item dicit, *Et abiit*: ubi signatur malitia daemonis. *Abiit*, idest occultum se reddidit: quando enim instigat, non semper cooperatur: si enim ad votum omnia succederent, de facili posset discerni; ideo aliquando malitiae suae cedit; Ps. 19, 9: *Insiadatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua*.

1003 Consequenter agitur de processu boni et mali. *Cum autem crevisset herba*. Et ut intelligatur, tria considerantur. Primo ponitur manifestatio bonorum a malis; secundo zelus bonorum contra malos; tertio tolerantia. Dicit ergo: *Cum*

crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizaniam, etc. A principio enim quando seminatur, non apparet, sed cum crescit herba. Et hoc potest ad utrumque referri, et ad triticum, et ad zizaniam. Augustinus exponit de tritico, quia cum homo parvus est, non potest discernere; sed quando crescit, et facit fructum, et fit spiritualis, tunc cognoscit; I ad Cor. 11, 15: *Spiritualis discernit omnia*. Chrysostomus exponit de zizaniam, quia primo non apparet, quia haeretici primo abscondunt scientiam, quia primo aliqua bona dicunt et praedicant laicis, et post inserunt aliqua mala de clericis, quae libenter audiuntur; et sic avertunt populum a dilectione clericorum, et sic per consequens Ecclesiae. Sed post cum suscipiunt doctrinam, manifestant malitiam. Primo enim non dicunt nisi levia, sed post se manifestant et doctrinam suam, quae intelligitur per vinum; de quo vino dicitur Prov. xxiii, 31: *Ingrreditur blande, retro autem mordebit ut coluber*.

1004 *Accedentes autem servi patrisfamilias*, etc. Hic ponitur de zelo bonorum contra malos. Et primo inquirunt de origine mali; secundo moventur zelo ad extirpationem malorum, ibi, *Servi autem dixerunt*, etc. Dicit, *Accedentes autem*, etc. Primo videndum qui sint isti servi. Infra dicit de messoribus; sed isti non servi, sed angeli. Isti sunt homines boni: et hoc non est inconveniens, cum Dominus dicatur et ostium, et ostiarius. *Accedentes autem servi*, per fidem; Ps. xxxiii, vers. 6: *Accedite ad eum, et illuminamini*. *Dixerunt: Domine, nome bonum semen seminasti in agro tuo?* Nonne Apostoli bonam doctrinam seminaverunt? Ita utique. *Vidit Dominus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*, Gen. 1, 31. *Unde ergo habet zizaniam?* Quaestio similis habetur Ier. 11, 21: *Ego plantavi*

vineam electam, quomodo conversa es mihi in pravam, vinea aliena? Respondet Dominus, et ait, *illis: Inimicus homo hoc fecit*. Et notate quod hoc non ex prima origine, sed de hoc quod in hominibus est a diabolo; Sap. 11, 24: *Invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum*. Homo dicitur diabolus per defectum a deitate; Ps. 19, 20: *Exsurge, Domine, non confortetur homo*. Hic homo dicitur inimicus propter consummatam malitiam; Gen. cap. 11, 15: *Inimicitias ponam inter te et ipsum*.

1005 *Servi autem dixerunt*. Hic dicitur quod servi moventur zelo ad extirpationem malorum. *Vis, imus, et colligimus ea?* Dicuntur hic de ipsis duo laudabilia, quia moventur ad destruendum malum; I ad Cor. v, 13: *Auferte malum ex vobis ipsis*. Item aliud laudabile, quia hoc facere nolunt proprio motu, sed iussu domini; unde Tob. 14, 20: *Omni tempore benedic Deum, et omnia consilia tua in ipso permaneant*. Et ait *illis*. Nota, hoc est tertium, scilicet de sustinentia malorum; de hoc Eccl. viii, 11: *Etenim quia cito non proferitur contra malos sententia, filii hominum absque timore perpetrant mala*. Et primo ostendit propositum; secundo rationem assignat; tertio ponit terminum sustinentiae, quia semper non sustinebit. Dicit ergo: *Non, idest non volo quod colligatis adhuc*; II Petr. ult., 9: *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter exspectat*. *Ne forte*. Hic ponit rationem.

1006 Et prima fronte notare debetis, quod bonum est magnum, et victoriosum supra malum, quia bonum potest esse sine malo, malum autem non sine bono; ideo sustinet Dominus multa mala, ut veniant, vel etiam ne pereant multa bona. Ideo dicit: *Ne forte colligentes zizaniam, idest malos, vel haeticos, etc., eradecitis simul et triticum*.

1007 Quatuor de causis contingit quare mali non debeant eradicari propter bonos. Una causa est, quia per malos exercitantur boni; I Cor. xi, 19: *Oportet haereses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*; Prov. xi, 29: *Qui stultus est, serviet sapienti*. Si non fuissent haeretici, non claruisset scientia sanctorum, Augustini, et aliorum. Unde qui vellet malos eradicare, eradicaret et multa bona. Item contingit quod qui modo malus est, postea bonus fit, ut Paulus. Unde si occisus fuisset Paulus, careremus doctrina tanti magistri, quod absit. Ideo si vis eradicare, eradicabis simul et triticum, scilicet eum, qui erit triticum; Ps. lxxvii, 23: *Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris*. Tertia ratio, quia aliqui videntur mali, et non sunt; ideo si velles evellere malos, statim multos bonos extirpares. Et hoc apparet, quia noluit Deus quod colligerentur, donec ad perfectam maturitatem pervenirent; unde I ad Cor. iv, 5: *Nolite ante tempus iudicare*. Quarta ratio est, quia aliquis quandoque est magnae potestatis; ideo si excludatur, trahit multos secum, et sic cum illo malo multi percunt. Ideo congregatio non excommunicatur, nec princeps populi, ne cum uno multi cadant. De tali intelligitur quod dicitur in Apocalypsi xii, 4, quod draco trahit tertiam partem stellarum secum, etc. Et Gen. xviii, 25: *Abstia te ut hanc rem facias, et occidas iustum cum impio*. Sed numquid semper parceret eis? Non, sed usque ad tempus, unde dicit: *Simile utraque crescere usque ad messem*, etc. Similis sententia habetur Apoc. ult., 11: *Qui nocet, noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc*.

1008 *Simile utraque crescere usque ad messem*. Contra istam sententiam obicitur, quia dicitur Is. 1, 16: *Auferte malum co-*

gitationum vestrarum, etc. Item I Cor. v, vers. 7; *Expargate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi, etc.* Quid ergo dicit, *Sinite, etc.*?

1009 Chrysostomus dicit quod loquitur de occisione. Unde haeretici non sunt occidendi, quia inde multa mala sequerentur. Augustinus in epistola quadam dicit, quod fuit sibi visum aliquando quod non deberent occidi; sed post experimento didicit quod multi convertuntur per violentiam: Dominus enim quosdam violenter trahit, sicut traxit Paulum. Unde iste coacte conversus plus profecit quam omnes alii qui voluntarie crediderunt. Et hanc opinionem (vel quaestionem) tractavit Augustinus. Unde secundum sententiam Chrysostomi, si non possit sine periculo, non debet fieri, sed ubi maius periculum timetur. Et hoc patet inducendo in omnibus, quia etsi mali sunt, prosunt ad exercitationem. Quia tamen magis timendum est ne evangelica doctrina per eos in aliis pereat, ideo, etc. Item aliqui qui modo sunt mali, fiunt post boni. Verum est quod statim non debent occidi, sed, sicut habetur ad Titum iii, 10: *Haeticum post primam et secundam monitionem devita.* Ad aliud quod tertio opponitur, quia scilicet multi videntur mali qui sunt boni, verum est, si fieret indiscrete, sicut habetur I ad Tim. iv. Item quod dictum est, quod princeps populi excommunicari non debet, si videas quod maius sit scandalum si excommunicetur quam in eo quod delinquit, non debet excommunicari; sed si aliquid egisset quod esset ad periculum fidei, sine dubio excommunicari debet, quodcumque inde accidat damnus.

1010 *Et in tempore messis dicam messoribus, etc.* Supra Dominus exposuit parabolice originem boni et mali, et proces-

sum utriusque; hic agitur de similitudine utriusque. Et primo ponitur tempus finis; secundo ponuntur ministri; tertio modus et ordo, quorum unumquodque ordinatur ad finem. Tempus tangitur, cum dicitur, *In tempore messis*, etc. Tempus messis est tempus collectionis fructus, qui expectatur ex seminibus. Duplex est autem collectio: una in Ecclesia praesenti, alia in coelesti. Et ideo duplex est messis: quaedam congregationis fructuum in praesenti; de hac Ioann. iv, 35: *Levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam mabae sunt iam ad messem.* Item tempus messis in triumphanti Ecclesia; unde inf. cod. dicitur, quod messis est consummatio saeculi; ergo usque ad illud tempus differunt. Qui sunt ministri? messorum. Unde, *Dicam messoribus.* Messorum primae messis fuerunt Apostoli: ipsi enim collegerunt et converterunt totum mundum, de quibus Io. iv, 38: *Misi vos metere quod non seminastis.* In secunda messe messorum erunt angeli; Apoc. cap. xiv, 15, dictum est cuidam angelo: *Mitte falcem tuam, et mete: quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terrae, etc.* Quae enim mediante Deo fiunt, credendum quod fiant ministerio angelorum; unde dicitur de angelis Ps. cii, 21: *Ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Sed videamus ordinem, et quo modo assequantur finem, et quem finem. Et primo de malis; secundo de bonis. De malis sciendum, quod primo colliguntur; secundo alligantur; tertio comburantur. In primo est separatio malorum a bonis. Quamdiu durat tempus istud, mali cum bonis sunt, zizania cum tritico, liliu inter spinas, ut habetur Cant. ii, 2; infra xxv, 2: *Cum venerit Filius hominis, separabit bonos a malis, hoedos ab agnis.* Unde dicit: *Colligite primum zizania, etc.* Modo quasi

indiscrete accidunt bona et mala bonis et malis: et hoc est quod dicitur Eccl. cap. ix, quod hoc pessimum est inter omnia, quae sub coelo fiunt, quia eadem cunctis eveniunt; sed tunc bona reddentur bonis, et mala malis. Ne ergo involvantur, oportet quod separentur et alligentur. Unde, *Et alligate ea.* In alligatione perpetuitas poenae signatur; Ps. cxlix, 8: *Ad alligandos reges eorum in compedibus, etc.*; infra xxii, 13: *Ligatis manibus et pedibus, proicite eum in tenebras exteriores, quod signat poenitentiam et irrevocationem aeternae damnationis.* In fasciculos. Omnes erunt separati a visione Dei: poena damni erit aequalis omnibus, ideo ponentur in fasciculos, sicut habetur Lev. xiii, ubi docetur discernere inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram; et Is. xxvii, 8: *In mensura contra mensuram.* Et ad quid? *Ad comburendum, idest igni aeterno tradentur.* De isto dicitur Luc. xvi, 24: *Quia crucior in hac flamma.*

1011 Deinde cum dicitur, *Triticum autem congregate in horreum meum*, ponitur finis bonorum. Et e contrario tria ponuntur, scilicet puritas, et unitas, et tranquillitas. Puritas, cum dicitur, *Triticum.* Sed notate quod zizania fuit colligata, ideo non fuit excussa, triticum vero fuit excussum. Et hoc significat quod mali cum suis inquinamentis in infernum mittentur; sed boni penitus erunt purgati; Is. xxxv, 8: *Via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus.* Item est inter eos unitas; unde, *Congregate.* Inter malos semper sunt iurgia, ideo non habent unitatem; sed boni congregantur; Ps. xlix, 5: *Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia, etc.*; et infra cap. xxiv, 28: *Ubi corpus, ibi congregabuntur et aquilae.* Item erit inter eos

tranquillitas; unde dicit, *In horreum meum.* Horreum fit ad conservationem messis; sic illa patria erit horreum sanctorum, ubi erunt cum laude et lactitia sempiterna, ut habetur Is. xxxv, 10.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1012 **C**OMPLETIS autem viginti novem annis actatis suae, quibus Dominus Iesus sic poenose et abiecte vixerat, et trigesimo iam incepto, factum est in diebus illis, scilicet quibus Ioannes baptizabat et praedicabat, antequam clauderetur in carcere, dicit Iesus Matri suae, quia tempus est ut vadat et glorificet, atque manifestet Patrem suum, et se mundo ostendat, qui diu latuerat, et operetur animarum salutem, pro qua Pater ipsum huc miserat. Et reverenter se licentians ab ea, et nutritio suo Ioseph, venit Iesus a Nazareth Galilaeae, ubi nutritus fuerat, quae respectu Ierusalem est ad Aquilonem; et ivit versus locum Iordanis, ubi Ioannes baptizabat, non longe a Iericho, quae respectu Ierusalem est ad orientem. De Iericho enim, similiter ad orientem, sunt quasi duo millaria usque ad capellam sancti Ioannis, ubi ipse habitabat, et inde quasi unum milliare, usque ad locum Iordanis, ubi Christus dicitur baptizatus inter Ennon et Salim, non longe a monte Gelboe in Bethania, quae est supra Iordanem, tribus leucis de Iericho, sed duabus de capella sancti Ioannis, secundum Remigium, quia Galilaea transmigatio, et Iordanis descensus interpretatur. Per hoc quod Iesus de Galilaea venit ad Iordanem, significatur quod eius membra, si velint baptizari, et per gratiam lavari, oportet ea transmigari de vitis ad virtutes, et descendendo humiliari.

1013 Ut autem ait Beda: * Iesus annorum triginta baptizatus, incoepit apertius signa facere et docere, legitimum tempus ostendens, his qui omnem aetatem, vel ad sacerdotium, vel ad docendum putant opportunam. Nec contra hoc movere quempiam debet quod Ieremias, atque Daniel prophetae Spiritum pueri acceperunt, quia miracula in exemplum operationis non sunt trahenda. Tricenalis autem baptizati Salvatoris aetas conveniens fuit, et nobis convenit, propter mysterium Trinitatis, et operationem Decalogi. Qui ergo baptizatur, vel gaudet se esse baptizatum, tricennalis sit in hunc modum, ut in fide sanctae Trinitatis intelligat, et complect Decalogum; haec Beda. Hic ergo, secundum Rabanum, instrumur nullum debere sa-

cerdotem, aut praedicatorum fieri, vel Ecclesiae praefici, nisi virilis et perfectae aetatis fuerit. Sed heu! nunc tales praeficiuntur regimini Ecclesiae, qui seipsum nesciunt regere, tales procuratores patrimonii Crucifixi, qui suarum rerum tutores esse non possunt; aliis etiam praeesse volunt, qui paedagogos adhuc indigent. Secundum vero Chrysostomum: * Tringia annorum venit Iesus ad baptismum, quia scilicet post baptismum illud, Legem veterem erat soluturus, propterea usque in hanc aetatem, quae omnia potest capere peccata, in Legis observatione permansit, ipsam universam implens, ne quis diceret, ideo illum solvisse Legem, quia eam non valuisse implere. Propterea igitur omnem hanc Christus expectavit aetatem, per quam omne tempus iustitiae implevit, ac tunc deum venit ad baptismum, quasi cumulum illud cunctis observationibus Legis imponens: haec Chrysostomus.

FERIA TERTIA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

DOM. V. POST EPIPH., SERMO 2.

1014 **S**IMILE factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, Matthaei decimo tertio.

1015 Dominus Iesus in his verbis tangit metaphoricè tria, scilicet principium productionis, quod est Deus aeternus, homo in tempore perfectus; subiectum receptivum, quod est humanum genus coaptatum influentibus coelestibus, et actum intermedium, qui est praeventio a divinis charismatibus sive immissio divinitus inspirationum sanctarum et attractio desideriorum coelitus. Primum nota in similitudine regni coelorum ad hominem Deum; secundum, in agro suo; tertium, in verbo seminandi.

1016 Circa totum nota, quod est ager quadruplex, scilicet mundialis machinae nobis traditus: in sepulchrum humanae mortalitatis; Genesis vigesimo tertio: *Dabo pecuniam pro agro; suscipe eam, et sic sepeliam mortuum meum in eo.* — In spe-

culum divinae liberalitatis; Matthaei sexto: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt.* — In sustentamentum verae fragilitatis; Ruth quarto: *Si vis possidere agrum iure propinquitatis, eme et posside.*

1017 *Mentalis conscientiae, quam quidem debemus colere extirpando vitia; Proverbiorum vigesimo quarto: Diligenter exerce agrum tuum; quocirca Proverbiorum vigesimo quarto: Per agrum hominis pigri transivi et per vineam viri stulti, et ecce, totum repleverant urticae.* — *Irigare, implorando charismata; Iudicum primo: Quam pergentem in itinere monuit vir suus, ut peleret a patre suo agrum, etc.* — *Seminare per virtuosa exercitia; Psalmus: Seminaverunt agros et plantaverunt vineas et fecerunt fructum nativitatibus.*

1018 *Venerabilis Scripturae, et iste est habitandus per studiosam lectionem; Ruth secundo: Vadam in agrum et colligam spicas, quae fuerint manus metentium.* — *Per intentam meditationem; Genesis vigesimo quarto: Deambulabat Isaac per viam, quae ducit ad puteum, cuius nomen est viventis et viventis; habitabat enim in terra australi. Et egressus fuerat ad meditando in agro, inclinata iam die.* — *Per radiosam contemplationem; Genesis vigesimo nono: Profectus Iacob venit in terram orientalem et vidit puteum in agro, et os eius grandi lapide tegebatur et claudebatur.*

1019 *Coelestis gloriae, et iste est formosus; Psalmus: Pulchritudo agri mecum est; cognovi omnia volatilia coeli.* — *Pretiosus; Matthaei decimo tertio: Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.* — *Deliciosus; Genesis vigesimo septimo: Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1020 **V**ADIT ergo Dominus mundi solus, pedibus nudis, per spatium tam longi itineris. Intuere eum diligenter et devote, eidemque vehementer et ex corde compatere. Non ducit secum militum, aut equorum, aut alterius comitum frequentiam; nec dum habebat discipulos, vel sequelam aliam. Non habet qui praecedat ad hospitia, ad necessaria praeparanda. Nec sunt ibi honores et pompae, quibus nos vermiculi utimur et delectamur. Sed ille cui in regno suo millia millium ministrant et decies milles centena millia assistunt, sic solus incedit, terram pedibus nudis calcando, et usque ad fatigationem laborando. Nam regnum suum non est de hoc mundo, qui exinanivit semetipsum, formam servi, non regis accipiens. Factus est servus, ut nos reges faceret; factus est advena et peregrinus, ut nos ad patriam et regnum suum perduceret. Viam posuit ante oculos nostros, per quam illuc ascendere valeamus. Sed quare ipsum negligimus? Quare nosmetipsos non humiliamus? Quare honores et pompas, cadaeva et vana, sic avidè quaerimus et tenemus? Certe, quia regnum nostrum est de hoc mundo, nec consideramus nos advenas et peregrinos, et propterea mala ista incurrimus. O vani filii hominum! cur vana pro veris, cadaeva pro certis, temporalia pro aeternis acceptamus, et sic studiosè amplectimur? Cur ista transitoria non spernimus et quasi transacta non reputamus? Vadit ergo Dominus Iesus, scilicet dator salutis, et non indigens salute, sic humiliter et continuatis diebus, quousque perveniat ad Iordanem.

1021 Cum autem venit in Iordanem, invenit Ioannem peccatores baptizantem et turbam magnam, quae illuc ad ipsius praedicationem concurrerat, quia eum quasi Christum habebant. Cum famulis Dominus, cum reis Iudex baptizandus venit, non tamen aquis mundari, sed ipsas mundare cupiens. Venit quidem Iesus ad Ioannem, maior ad minorem, id est Deus ad Ioannem, Dominus ad servum, Rex ad militem, lux ad lucernam, sol ad luciferum, ut et ipsius praedicationem Ioannis confirmaret, et ut testimonium a Ioanne acciperet, ut exteriori ablutione baptizaretur ab eo, scilicet fons a rivo, plenitudo a stilla, Auctor baptismi a baptismini ministro; non purgatione indigens, sed nostram faciens; non necessitate ablutionis, ut ipse remissionem peccatorum per baptismum acciperet, sed ut baptismate suo, baptismum Ioannis approbaret, et ipsum a Deo ordinatum ostenderet; ut nobis mysterium baptismi insinuaret, ut quia homo natus erat, omnem iustitiam Legis, et omnem hu-

militatem impleret, atque implendo doceret; ut Trinitatis mysterium revelaret; ut nemo, quantumlibet sanctus, baptismi gratiam superfluum iudicaret; ut prius faceret, quod postea faciendum imperabat, ut cognoscerent servi quata alacritas debeant currere ad baptismum Domini, quando ipse Dominus non indignatus est suscipere baptismum servi, et nemo refugiat lavacrum gratiae, quando Christus non refugit lavacrum poenitentiae; ut caput draconis in aqua contereret, peccata deleteret, et veterem Adam sepeliret; ut contactu mundissimae suae carnis et corporis, aquas sanctificans, vim abluendi et regenerativam aquae conferret, et sanctificatas aquas baptizandis postmodum relinqueret; ut per descensionem columbae in lavacro credentium Spiritus sancti adventum super baptizatos monstraret; ut populus testimonium Ioannis de Christo, et etiam Dei Patris audiret, et ut per hoc quod ipse Filius Dei baptizatus est, omnes per baptismum renatos, filios Dei, et fratres sibi faceret et ostenderet. Quem et tu fidelis, ut iam in Christo regeretur, comitari, eiusque sacramenta, et cuncta quae aguntur, scrutare. Volens ergo Dominus operari nostram salutem, coepit prius facere, quam docere. Et primum inchoans a Ianna sacramentorum, et fundamento virtutum, voluit a Ioanne baptizari.

FERIA QUARTA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN MATTH. HOMIL. 45.

1022 **Q**UID interest discriminis inter hanc et superiorem parabolam? Illic loquitur de iis qui non attenderunt, sed resiliens semina protercerunt: hic de haereticorum coetibus loquitur. Ne enim discipulos turbaret, praedixit, postquam docuerat illos, cur in parabolis loqueretur. Parabola illa dicebat, non susceptum ipsum; haec autem, corruptores simul susceptos. Haec quippe diaboli versutia est, ut cum veritate semper commisceat errorem, cui veritatis colorem et similitudinem affingat, ita ut simplices facile circumvenire possit. Ideo non alia semina, quam zizania dixit, quod semen specie quidem frumento simile est. Deinde modum in-

sidiarum dicit. *Dum dormirent homines*, inquit. Non parvum hic praesulibus proponitur praecipitum et periculum, quibus maxime arvi cura demandata est; neque illis tantum, sed etiam subditis. Ostendit autem, errorem post veritatem venisse; id quod etiam rerum eventus testificatur. Nam post prophetas, pseudo-prophetas; post apostolos, pseudoapostoli; et post Christum, Antichristum. Nisi enim diabolus viderit quid imitari possit, aut quibus insidiari, nihil insidiarum ponit, nihil novit. Nunc ergo, quia vidit alium centesimum fecisse, alium sexagesimum, alium trigesimum, alia deinceps incedit via. Quia enim id quod radices posuerat abripere non poterat, neque suffocare, vel comburere, per aliam fallaciam insidiatur, sua inserens aliis. Et in quo differunt, inquires, hi dormientes ab iis qui per viam significati fuerant? Quod videlicet ibi statim abripuerit; neque enim radices ponere permisit: hic vero maiore opus habuerit artificio. Haec autem dicit Christus, ut doceat semper esse vigilandum. Etiam si enim, inquit, haec nocumenta effugias, aliud adhuc superest. Sicut enim ibi per viam, per petram et per spinas; sic et hic per somnum pernicies accedit: quapropter assidua opus est custodia. Ideo dicebat: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (MATTH. X, 22). Simile quidpiam in principio accidit. Multi enim antistites improbos viros haeresiarachas occultos in Ecclesias inducentes, huiusmodi insidias struendis facultatem magnam praebuere. Neque enim labore opus est diabolo, postquam huiusmodi homines in medio inseruit. Et quomodo fieri potest, inquires, ut non dormiant? Naturali quidem somno, fieri nequit; voluntatis somno, secus. Quapropter Paulus dicebat: *Vigilate, state in fide* (I COR. XVI, 13). Nec noxiam solum, sed et su-

perluam rem ostendit. Nam postquam ager cultus fuit, cum nulla re opus est, tunc seminat; quod et haeretici faciunt, qui non nisi propter vanam gloriam venenum suum iniiciunt. Neque ex his tantum verbis, sed etiam ex sequentibus, totam illorum scenam accurate describit: *Cum pullulavit, inquit, herba, et fructum tulit, tunc apparuerunt et zizania*: quod et ipsi faciunt. Initio namque sese occultant: postquam vero maiorem acciperent fiduciam, et copiam dicendi nati sunt, tunc virus effundunt. Cur autem servos induci, quae accidere narrantes? Ut hinc ansam arripiat dicendi non occidendos illos esse. Inimicum hominem vocat illum, ob damna quae inferit hominibus: damnus enim nos impetit; damni vero initium non odio nostri, sed odio Dei factum est. Unde palam est, Deum nos magis diligere, quam nos a nobis ipsis diligamur. Sed aliunde videre est diaboli versutiam. Non enim antehac seminavit, quia nihil quod perderet habuit; sed cum omnia plena essent, ut totum agricolae studium labefactaret: sic inimico erga illum animo cuncta faciebat. Vide autem servorum diligentiam. Nam zizania cito evellere cupiunt, etiamsi id non considerate faciant: quod illorum circa semina sollicitudinem declarat, arguitque ipsos ad unum tantum respicere, non quo pacto ille poenas det: neque enim illud ita urget; sed ne iacta semina pereant. Ideo ita cogitant ut morbum celeriter avellant. Illud vero non statim efficere conantur; neque enim id sibi arrogant; sed domini sententiam expectant dicentes: *Vis? Quid igitur dominus? Id vetat dicens: Ne forte eradicetis simul et triticum*. Hoc porro dicebat, ut bella caedeseque prohiberet. Neque enim haereticum occidere oportet: nam sic irreconciliabile bellum in orbem induceretur.

1023 His autem duobus ratiociniis movetur ad illos cohibendos: primo, quod frumentum non laederent; secundo, quod illi incurabili morbo laborantes supplicium iuturi essent. Quapropter si vis illos puniri sine frumenti noxa, exspecta tempus opportunum. Quid autem aliud sibi vult cum dicit: *Ne eradicetis simul et triticum*, quam hoc quod dicimus: Si arma moveatis, ut haereticos occidatis, multos etiam sanctorum una occidi necesse est; vel etiam multi ex istis zizaniis, ut verisimile est, convertentur in frumentum? Si ergo prius illos eradicetis, frumento etiam venturo nocebitis, si illos qui mutari et boni effici possunt, eradicetis. Non igitur prohibet haereticos reprimere, illorum ora obstruere, libertatem loquendi coercere, coetus eorum solvere, pacta respuere, sed occidere vetat. Tu vero illius mansuetudinem perpende, quomodo scilicet non sententiam solum efferat et iubeat, sed etiam rationem exponat. Quid ergo eveniet, si usque in finem zizania maneant? *Tunc dicam messoribus*, inquit, *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Revocat ipsis in mentem verba Ioannis, quibus ipse iudex inducebatur, dicitque: donec prope frumentum stant zizania, parcendum ipsis esse; potest enim fieri ut frumentum efficiantur. Cum autem nullo reportato litore abscesserint, tunc illos inevitabilis ultio excipiet. *Dicam enim messoribus*, inquit, *Colligite primum zizania*. Cur *Primum*? Ne terreantur illi, quasi triticum cum illis auferatur. *Et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum*.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1024 **D**ixit itaque Ioanni, tunc peccatores baptizati: Rogo te, ut me cum istis baptizata Ioannes autem intuens eum, et Spiritu per divinam revelationem cognoscens eum esse verum Deum et hominem, nullum peccatum habentem, et ob hoc lavacro non indigentem, alios a peccato lavantem, timuit et expavit; et ut humilitatem Regis imitaretur miles ex reverentia *prolabebat cum dicens*: Domine, ego terrenus a te coelestis, qui non eges, baptizari debeo, quia ego baptizari; et tu, cuius generatio non est vitiosa, venis ad me baptizari? Tu maior es et Dominus, et ego minor et servus; et tu non ad me, sed ego potius debui ire ad te. Tu mundus es, et omnia mundas; non tu a me, sed ego a te, et mundari, et baptizari debeo. Ego homo sum; tu Deus. Ego peccator, quia homo; tu sine peccato, quia Deus. Quid vis a me baptizari? Non recuso obsequium, sed ignoro mysterium. Ego peccatores baptizo in poenitentia; tu quid vis baptizari, qui non habes peccati causam? Inno potius quid vis peccator baptizari, qui venisti peccata perdonare? Unde Bernardus: *Baptizari vis, Domine Iesu? Ut quid enim, aut quid tibi opus baptismate? Numquid sano opus est medicina; aut mandatione mando? Unde tibi peccatum, ubi baptismata sit necessarium? Quam maculam habere potest Agnus sine macula?* Unde et Chrysostomus: *Ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut iustus efficiat, et dignus coelo; ut autem ego te baptizem, quae est ratio? Omne bonum de coelo descendit in terram, non de terra ascendit in coelum.* Unde etiam Leo Papa: *Quid facis, Domine? Ecco quasi mendacem me lapidabunt. Ego magna de te praedicavi, et tu tam simplex velut hospes advenisti! Tu sursum Filius Regis, et deorsum Filius Regis, et nusquam scriptum regale ostendisti! Ostende dignitatem tuam. Cur solus tam humilis advenisti? Ubi Angelorum agmina? Ubi ministratio Cherubim sex alarum? Ubi ventilarum? Tu Moysen glorificasti in nube lucida, et columina ignis; et tu mihi caput inclinas? Reneue, Domine, caput es omnium. Ostendisti humilia, ostendisti sublimia. Baptiza omnes presentes, et me ante omnes. Quid baptizari vis, sordem non habens? Et si baptizare voluero, Iordanis non suscipit, cognovit te Factorem suum, convertit fluenta retrorsum.* haec Leo Papa. Non mirum si Baptista contremuit quando sub manibus suis humiliatur, cui omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum curvatur. Unde Bernardus: *Inclinatur sub Baptistae manibus caput adorandum Angelis, reverendum Potestatibus, tremendum Prin-*

capitibus. Quid mirum, si tremis homo, nec audeat attingere sanctum Dei verticem? Quid vel ipsa cogitatione non contremiscit? O quam altum erit in iudicio caput istud, quod modo sic inclinatur; et vertex qui modo tam humilis videtur, quam sublimis et erectus tunc apparebit! „ haec Bernardus.

FERIA QUINTA

Homilia S. Petri Damiani Episcopi.
IN MATH. SERMO 37.

1025 **Q**ue beata mater Ecclesia, cui mors ad vitam militat, crudelitas persequentium ignara ministrat. Cui videlicet et mors parit in aeternitate victuros, et poenalis oppressio generat perpetuo regnatos. Beata, inquam, et vere felix Ecclesia, cui et ignominiae confusio gloriam, et tormenta victoriam, et vincula, sive carceres libertatem pariunt sempiternam. Hic est profecto ager ille Dominicus, in quo grana tritrici moritura quidem decidunt, sed multiplicatis postmodum frugibus, rediviva nascuntur. Haec est area illa Aereuna Iebusei, in qua videlicet hostias David pacificas obtulit, et furorem Domini, repressa ab Israel ultoris gladii internecione, placavit. In hac area, sive torculari Gedeon frumenta purgabat excutiens, cum videre Angelum meruit, et eius oraculo, quia ipse Israel de manu Madian liberaturus esset, agnovit. In hac area Abel de primogenitis gregis sui, et eorum adipibus obtulit, quae profecto divina gratia, quia grate suscepti, illico, sicut vetus testatur editio, coelitus inflammavit. In hac etiam Cain de frugibus terrae munera obtulit, quae Dominus despexit, atque ideo non respexit. In hac siquidem area, sicut sunt quaedam ex tritura, quae ignibus debentur, ita etiam sunt nonnulli de tritricibus ipsis, qui simul ad ignem

tendunt. Sive enim de iustis, sive de peccatoribus, vera est Ioannis sententia, quae dicit: *Opera enim illorum sequuntur illos.*

1026 Attendite, fratres mei dilectissimi, considerate, perpendite, quia tota universalis Ecclesia omni terrarum orbe diffusa, una est area sic bonis ac malis; iustis, atque perversis, tamquam zizaniis, et tritico; tamquam paleis, ac frugibus plena. Sed quousque tritricum terrae cultor incipiat, omnia indifferenter area continet, et quae recondenda sunt horreis, et quae tradenda sunt flammis. Sed quid est in area flammis obnoxium, quid horreis reservandum, nisi quod Ioannes Baptista in Evangelio manifeste discernit cum de Domino loquens, ait: *Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili?* Sed unde discernimus utrum paleae, an triticum simus? Ex gravitate profecto morum, vel inconstantia; ex pondere, vel levitate. Quisquis enim voluptatum aura raptatur, quisquis turbine furoris impellitur, quem modo superbiae spiritus inaniter levat, modo moeror vel iniuria illata praecipitat, hic profecto palea, vel arundo dicenda est. Quod utique Ioannes esse negatur, cum de illo ex ore Veritatis dicitur: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Quod contra de reprobis scriptum est: *Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem prociat ventus a facie nostra.* Non simus, fratres mei, non simus paleae, non simus zizania, quae ventilabrum ultimae discussionis excutiat, et mox ignis aeternae combustionis exurat. Pertimescamus semper illam Evangelicae comminationis sententiam, qua dicitur: *Sinite, inquit, utraque usque ad messem, et in tempore messis dicit mesoribus:*

Colligite primum zizania et alligate fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Pensate diligenter verba Veritatis, pensate cum timore quod dicitur, alligate fasciculos ad comburendum: zizania quippe fasciculis alligantur, quia in illo perpetuae damnationis incendio homicidae cum homicidis, adulteri cum adulteris, periuri cum periuris, incestuosi cum incestuosus, non diverso poenaliu tormentorum genere constringuntur. Illic eos infinitae poenae patens gehennae barathrum devorat, qui hic se arroganter in superbiae cornibus extollebant: Illic eorum carnes, atque medullas saginis irriguas crepitans flamma depascet, qui hic arsere deliciis, et aestuantis exolvere illecebras voluptatis. Bene itaque dicuntur fasciculis alligare, quia nequaquam eos tunc separat diversitas ultionis, quod hic similitudo satiaverat pravitatis: et qui nunc eisdem criminibus sunt obnoxii, eiusdem supplicii postmodum tenentur animadversione constricti. De quibus omnibus alibi sub unius personae specie dicitur: *Ligatis manibus et pedibus, mitte illum in tenebras exteriores.* Illic membra ligantur ad poenam, quae hic soluta, et libera ferebantur ad culpam. Vel tunc digne constringenda sunt in supplicii, quae nunc male ligata sunt a pietatis operibus peragendis. Illic animae reproborum cum corporibus simul inextinguibili cruciantur incendio, sicut hic in executione pravi operis iungebantur. Unde et per Prophetam dicitur: *Descenderunt ad infernum cum armis suis.* Arma quippe peccantium membra sunt corporis, quibus reprobi homines diabolo militant, et eius imperio, perverse vivendo ministrant. Simul ergo cum animabus et corpora in aeterna morte damnantur, quae simul in pravi operis per-

1027 petratione vixerunt. De quibus Propheta dicit: *Ibi Assur, et sepulchra eius.* Quid enim per Assur, superbum videlicet regem, nisi diabolus intelligitur, qui, iuxta quod scriptum est: *Ipse est Rex super omnes filios superbiae?* Quid sepulchra nisi mortuorum sunt habitacula? tunc autem diabolus in mortem corrumpit cum ab Auctore vitae superbiendo recessit. Quisquis ergo nequitiae spiritum, qui vere mortuus est, in sui cordis hospitio per pravam voluntatem habitare permittit, proculdubio de semetipso sepulchrum facit. Et necesse est, ut cum ipso simul illic tormentorum supplicia perferat, qui semetipsum hic habitaculum per nequitiam perversi operis exhibebat.

1028 Quia ergo in area zizania simul continentur et triticum, videamus, fratres, si triticum sumus, videamus si ad horreum Dominicum reservamur. Sed quia dicit Apostolus: *Quae enim seminaverit homo, haec et metet;* consideremus intente quid quotidie serimus, et sic iam conicere possumus, quid postmodum necessario metere debeamus. Et ut exemplo facilius possit elucere quod dicimus, numquid, fratres mei, qui hoc anno avenam, sive lolium seminaverat, tritico se replere modo cellarium sperat? Numquid cui sterilem placuit vitem serere, proventu leguminum, ex ea poterit redundare? Et hae profecto quisquiliae, quas posuimus, victuales, quodammodo species mentiuntur. Nam similitudinem quidem refectricium utrumque messium habent. Ita plane nonnulli sunt, qui religionis imaginem superficie tenui simulant, cum veram intus religionem habere vivendo contemnant. Ii nimirum in culmis, et foliis frugum schema praetendunt, sed in ariditate medullae quisquiliae contegant.

Necesse est itaque, fratres, vera vir-

tutum nunc germina seminare, unde postmodum valeamus coelestium frugum gaudia aeterna colligere. Consideremus, quod dicit Apostolus: *Qui parce seminat, parce et metet*. Parce nimirum seminat, qui pauca bona facit, qui abundare virtutibus parvipendit, qui in erogandae misericordiae, et humanitatis studio proficere negligit, qui se in exhibendis fraternae charitatis officiis non extendit. Porro autem ille non parce, sed ubertim seminat, qui eiusdem egregii Praedicatoris sententiam servat: *Bonum, inquit, facientes non deficiamus: Tempore enim suo metemus non deficientes*. Ille non parce seminat, qui studet implere, quod ipse alibi dicit: *Quaecumque facitis, fratres, sive in verbo, sive in facto, omnia in gloriam Domini facite*. Plane qui vitam aeternam accipit, non parce, sed multum metit. Quid est ergo quod dicit, qui parce seminat, parce et metet; nisi tamquam manifeste denuntiet, quia qui parce in bonis operibus contentus est seminare, vitae aeternae praemium nullatenus meretur accipere? Sicut itaque, fratres mei, quisquis secundum transitoriae huius vitae ordinem apte vult vivere, non uno cuiuslibet messis contentus est genere, sed diversarum genera frugum satagit abundare: ita profecto quicumque ad terram viventium, quicumque ad illud promptuarium coeleste festinat, necesse est, ut per multos se bonorum operum labores exerceat, omniumque intra conscientiae suae cellarium virtutum germina congregare contendat.

1029

Studete igitur, fratres, ut humilitatem veram, charitatem non fictam, patientiae longanimitatem, castitatem carnis et cordis, obedientiam veram, viscera pietatis, et sincerae misericordiae, ceterarumque dona virtutum in quantum vobis; Deo largiente; possibile est, habeatis:

Et sic quasi uberem, ac multiplicem spiritualium segetum copiam in vestri pectoris promptuario recondatis. Nec putetis, quod virtus cuiuslibet ad perfectam salutem una sufficiat, si reliquas deesse contingat. Neque enim unaquaeque virtus est, si mixta aliis virtutibus non est. Pectus vestrum lorica semper patientiae munit, et contra cuncta adversitatum iacula, contra tribulationum flagella, contra illatas iniurias vos insuperabiles reddit. Sic enim triticum prius in area tunditur, calcatur, atteritur, ut abiectis paleis mundum cellario postea recondatur.

1030

Sic profecto necesse est, ut animae nostrae multa tunsionum, ac verberum flagella sustineant, quatenus depositis iniquitatum stipulis, purgatae ad horreum coeleste perveniant. Hinc est enim quod B. Iacobus dicit: *Patientes estote usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat, pretiosum fructum terrae, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, et serotinum*. In proventu denique rerum temporalium nolite sperare. Et, ut cum Propheta loquar: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere*. In his ergo successibus ille vobis ad memoriam redeat, qui dicebat: *Destruam horrea mea, et maiora faciam, et illic congregabo omnia, quae nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animae meae: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*. Cui protinus divina voce responsum est: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te: quae autem parasti cuius erunt? O quanti hodie triturantes fructus agrorum in promptuariis colligunt, qui alterius anni segetes in hoc saeculo non videbunt!* Quibus videlicet, nunc mundus arridet, sed propinqua mors in insidiis latet. Qui profecto si tam vicinum suae vocationis agnoscerent terminum, alio transferrent a terrenis substantiis appetitum.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.
(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21).

1031 Igitur, fratres mei, quanto magis de vitae vestrae fine estis incerti, tanto formidolosius semper estote suspecti. Nolite apud vos rerum vestrarum decimas retinere, ne illic eas a vobis terribilis Iudex per ratiocinium exigat, ubi nemo poterit habere, quod reddat. Pensate, quid per Malachiam Dominus dicat. Nam cum de reversione Israel divina vox disputaret, praesto subiunxit: *Et dixistis, in quo configimus te? In decimis, et in primitiis: et in penuria vos maledicti estis, et vos me configitis. Gens tota: inferre omnem decimam in horreum, ut sit cibus in domo mea*. Dicit Apostolus: *Reddite omnibus debita*. Et paulo post: *Nemini, inquit, quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Si ergo prohibebur humana debita retinere, perpendite quam periculosum sit, quae Dei sunt, Deo non reddere. Exhibete Sacerdotibus reverentiam, eorumque mandata humiliter obedite. *Obedite, ait Apostolus, praepositis vestris, et subiaceite eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis*. Si enim Redemptor noster propter Chananaeae meritum, a filia eius daemionium expulit, si propter offerentium fidem paralytico lectum gestare praecipit, si Centurionis precibus puerum, qui male torquebatur, incolorem reddidit; quam necessario nos sacerdotum orationibus indigemus, qui nos Deo diversis vitiorum languoribus aegrotantes offerunt, et quotidianis precibus apud divinam clementiam pro nobis indesinenter insistunt? Quorum proculdubio meritis sublevamur, etiamsi adhuc ex nostrae negligentiae languore deprimumur.

1032 DOMINUS vero probat quidem famuli sui, fidele servitutis obsequium, sed dispensationis suae manifestat mysterium: *respondens autem Iesus dixit ei: Sine, id est, permittite modo, scilicet me a te baptizari in aqua, ut tu postmodum a me baptizeris in Spiritu, quia mysterium est quod ago*. In quo, secundum Chrysostomum, ostendit quia postea Christus Ioannem baptizavit. Sine modo, ut qui formam servi assumpsit, expleam et humilitatem eius. Et subiungit: *Sic enim faciendo, dum ego Superior et non indigens a te suspicio baptismum, decet nos me suscipiendo, et te baptizando, implere et dare exemplum implendi omnem iustitiam*. Et accipitur hic iustitia, non prout est virtus specialis, vitio avaritiae opposita; sed generaliter prout includit omnem virtutem, seu omnium virtutum perfectionem. Secundum Chrysostomum, quod dicit tale est: Omnia iam legalia compleximus, nec ullum transgressi sumus aliquando mandatum; unum adhuc deest solummodo, oportet etiam istud adiungi, sicut a nobis iustitia omnis implebitur. Iustitiam vero hic complementum cunctorum nominat mandatorum, ostendens hanc veram esse iustitiam, ut ipse Dominus ac Magister omne in se salutis nostrae sacramentum implet. Mandatum siquidem erat hominibus, baptismum subire Prophetae. Vel, omnem iustitiam, faciendo unicuique quod suum est. Qui enim Christi baptismum suscipit, miseretur animae suae placens Deo, salutis medelam suscipiens, et humiliter subditur Creatori suo, cuius institutioni obediens, proximique exemplo aedificat, eum ad bonum inducens. Sic ergo omnem iustitiam implet, quia Deo, et sibi, et proximo facit quod debet. Vel omnem iustitiam, faciendo prius quod postea fieri debet ab aliis, quasi diceret: Ideo me nunc subdo tibi minori, ne dedignentur maiores a minoribus baptizari vel regi. Unde Ambrosius: * Quae est iustitia, nisi quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios hortaris exemplo? ». Unde et Chrysostomus: * Non ergo sui causa baptizari Dominus voluit, sed causa nostri, ut impletet omnem iustitiam. Iustum est enim, ut quod quis docet alterum facere, prior incipiat. Quia igitur Dominus magister humani generis venerat, exemplo sui docere voluit quid esset faciendum, ut discipuli Magistram, servi Dominum sequerentur ». Unde etiam Augustinus: * Voluit facere quod faciendum omnibus imperabat, ut Dominus et Magister doctrinam suam non tam verbis insinuaret, quam actibus exerceret ». Vel, secundum Rabanum, sic decet nos exemplum dare omnis iustitiae implendae in ba-

ptismo, sine qua non aperitur aditus regni coelestis, ut discant homines neminem sine unda baptismi perfectum esse. Vel omnem iustitiam, id est, omnem et superabundantem humilitatem; maior enim pars iustitiae est humilitas.

FERIA SEXTA

Homilia S. Augustini Episcopi.
IN MATTH., CAP. XIII, SERMO 75.

1033

Est hesterno die et hodie, loquente Domino nostro Iesu Christo, parabolas seminantis audivimus. Qui adfuitis heri, recordamini hodie. Heri lectum est de illo seminante qui cum semina spargeret, aliud cecidit in viam, quod aves collegerunt; aliud in petrosos locis, quod aestu exaruit; aliud inter spinas, quod suffocatum est, et secundari non potuit; aliud in terram bonam, et attulit fructum centenum, sexagenum, tricenum (MATTH. XIII, 3-23). Hodie autem aliam parabolam rursus Dominus de seminante narravit, qui seminavit bonum semen in agro suo. Dormientibus hominibus venit inimicus, et superseminavit zizania. Quando herba erat, nondum apparebat: ubi coepit fructus boni seminis apparere, ibi etiam zizania claruerunt. Offensi sunt servi patrisfamilias, videntes in bona segete multa zizania, et voluerunt eradicare, et permissi non sunt: sed dictum est eis: *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Exposuit autem etiam Dominus Iesus Christus istam parabolam: et boni seminis seminatorem se esse dixit, seminatorem zizaniorum inimicum hominem diabolum ostendit; tempus messis, finem saeculi; agrum suum, totum mundum. Sed quid ait? *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, ad comburendum ea, triticum autem meum recondite in horreo*. Quid festina-

tis, inquit, servi zelo pleni? Videtis zizania inter frumentum, videtis malos christianos inter bonos; eradicetis vultis malos: quiescite, non est tempus messis. Veniat, et frumentum vos inveniat. Quid stomachamini? quid aegre toleratis malos permixtos bonis? In agro vobiscum esse possunt, in horreo non erunt.

Nostis autem illa tria hesterno die commemorata, ubi semen non profecit, viam, loca saxosa, loca spinosa; ipsa sunt zizania. Aliud nomen in alia similitudine acceperunt. Quia quando similitudines dantur, vel proprietates non exprimitur, per eas non veritas, sed similitudo veritatis exprimitur. Quod dico, scio paucos intellexisse: sed propter omnes loquimur. In rebus visibilibus via est, saxosa loca loca saxosa sunt, spinosa loca loca spinosa sunt: quod sunt, hoc sunt; quia proprie nominantur. In parabolis autem et similitudinibus potest una res multis nominibus appellari: ideo non est incongruum ut dicerem vobis: Via illa, loca illa saxosa, illa spinosa christiani mali sunt, ipsi sunt et zizania. Nonne agnus Christus? nonne et leo Christus? Inter feras et pecora qui agnus agnus, qui leo leo: utrumque Christus. Illa singula per proprietatem: ista utrumque per similitudinem. Plus etiam est quod accidit, ut per similitudinem multum a se res distantes, vocentur uno nomine. Quod enim tam distat ab invicem, quam Christus et diabolus? Tamen leo et Christus est appellatus, et diabolus. Christus leo: *Vidit leo, de tribu Iuda* (APOC. V, 5). Diabolus leo: *Nescitis quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumi, quaerens quem devoret?* (I PETR. V, 8). Ergo et ille leo et ille leo: ille leo propter feritatem; ille leo ad vincendum; ille leo ad nocendum. Ipse coluber diabolus est, serpens anti-

quus (APOC. XII, 9): numquid iussi sumus diabolum imitari, quando nobis dixit Pastor noster: *Estote simplices ut colubae, astuti ut serpentes?* (MATTH. X, 16).

1035 Ergo heri allocutus sum viam, allocutus sum loca saxosa, allocutus sum loca spinosa: et dixi: Mutamini, cum potestis; dura aratro versate, de agro lapides proicite, de agro spinas evellite. Nolite habere durum cor, unde cito verbum Dei pereat. Nolite habere tenuem terram, ubi radix charitatis alta non sedeat. Nolite curis et cupiditatibus saccularibus offocare bonum semen, quod vobis spargitur laboribus nostris. Etenim Dominus seminat: sed nos operarii eius sumus. Sed estote terra bona. Heri diximus, et hodie omnibus dicimus: Ferat alius centenum, alius sexagenum, alius tricenum. In alio maior, in alio minor est fructus: sed omnes ad horreum pertinebunt. Heri ista diximus, hodie zizania alloquor: sed ipsi sunt oves zizania. O christiani mali! o qui implendo premitis Ecclesiam male vivendo! corrigite vos antequam messis adveniat! Non dicatis: *Peccavi, et quid accidit mihi?* (ECCLE. V, 4). Non perdidit Deus potentiam: sed a te exigit poenitentiam. Hoc dico malis et tamen christianis; hoc dico zizaniis. In agro enim sunt: et fieri potest ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum. Ideo et triticum alloquor.

1036 O vos, christiani, qui bene vivitis, pauci inter multos suspiratis, pauci inter plurimos gemitis. Transiet hiems, veniet aestas, ecce aderit messis. Venient Angeli, qui possunt separare, et nesciunt errare. Nos in hoc tempore similes sumus servis illis, de quibus dictum est: *Vis, imas et colligimus ea?* Volebamus enim, si fieri possit, nullum malum remanere inter bonos. Sed dictum est nobis: *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Quare? Tales enim estis, ut falli

possitis. Denique audi: *Ne forte, dum vultis eradicare zizania, eradicetis simul et triticum*. Quid boni facitis? Nonne messem meam vestra diligentia vastabitis? Venient messorum: et exposuit qui sunt messorum: *Messorum autem Angeli sunt*. Nos homines sumus, Angeli messorum sunt. Erimus quidem et nos, si cursum perfecimus, aequalis Angelis Dei: sed modo quando stomachamur contra malos, adhuc homines sumus. Et nos modo audire debemus: *Quapropter qui se putat stare, caveat ne cadat* (I COR. X, 12). Putatis enim, fratres mei, quia ista zizania non ascendent apsidas? Putatis quia deorsum sunt, et sursum non sunt? Utinam hoc non simus. *Mihi autem minimum est ut a vobis iudicer* (Ibid. IV, 3). Dico sane Charitati vestrae, et in apsidis sunt frumenta, sunt zizania; et in populis sunt frumenta, sunt zizania. Boni tolerant malos: mali mutantur, et imitentur bonos. Omnes, si fieri potest, ad Deum pertineamus: omnes malitiam sacculi huius in illius misericordia evadamus. Quaeramus dies bonos, quia in diebus malis sumus: sed in diebus malis non blasphememus, ut ad bonos dies pervenire possimus.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.
[VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.]

1037 **E**st quippe debita et sufficiens humilitas omni iusto necessaria, maiori se subdere propter Deum, et non praeferre se aequali; abundans, se subdere aequali, et non praeferre se minori; perfecta et superabundans, subdere se minori, et non praeferre se alicui; et hunc tertium gradum Christus hic tenuit, ideo omnem humilitatem implevit. Unde Bernardus: *Est autem quaedam iustitia stricta et angusta valde; ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadis, nec praeponeere se aequali, nec acquirere praepositum. Huius definitio est, reddere unicuique quod suum est. Est altera latior et amplior iustitia, nec acquirere se pari,*

ne inferiori praepone. Sicut enim grandis et gravis superbia est praeferre se aequali, aut acquare Praelato; sic grandis humilitas est inferiorem se exhibere aequali et aequalem inferiori. Maxima et plena iustitia est, inferiorem se exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa et intolerabilis superbia est, superiori se praepone; ita inferiori se subdere, summa est et plena iustitia. Quod ergo Ioannes ait: Ego a te debeo baptizari, de prima fuit qua superiori se subdidit. Quod autem Christus fecit, de plena iustitia fuit; siquidem ille servili sui se manibus inclinavit. Videat nunc quilibet quem imitatur, hunc, an eum, qui extollitur supra omne quod creditur aut colitur Deus. Et iterum: *Nonne Deo, inquit, subiecta est anima mea?* Aut parum est esse subiectum Deo, nisi sis et omni humanae creaturae propter Deum? Sic enim docet nos, inquit, implere omnem iustitiam; id est, consummationem profecto iustitiae, in humilitatis perfectione consistentem. Vade, et tu, ad minorem, si vis iustitia esse perfectus; defer inferiori, et minori te inclinato: haec Bernardus. In hoc apparet iustitia in humili, quia alienum non surripit, nec sibi attribuit quod non debet; sed unicuique ius suum reddit. Non surripit honorem et sibi attribuit; sed Deo honorem, et sibi relinquit vilitatem. Non laedit proximum, nec eum diiudicat, nec praefert se alicui vel comparat; sed minorem omnibus se reputat, et locum novissimum sibi eligi et optat.

SABBATO

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.
IN MATTH., CAP. 13.

1038 **A**LLAM parabolam proposuit illis, dicens: Simile est Regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

1039 Bene similis dicitur, qui ei per omnia aptus esse probatur. Bonum itaque semen in agro corporis sui seminat, quia semen bonae voluntatis ad operum perfectionem perducere studet.

1040 Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Haec quidem sententia cautos nos esse admonet, ne dum torpescimus inertia, diabolus foeditatem vitiorum super semen bonae voluntatis spargat.

Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? etc. Hic nobis patientiae exemplum praebet, ut sicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit, sic in aliqua nos laesione non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam recurramus.

1041 *Servi autem dixerunt ei, usque, Eradicatis simul cum eis et triticum.* Hic denique discretionis et tolerantiam malos habemus exemplum, ne si magis ulciscendo talionem malis reddamus, bonis praebemus scandalum imitationis.

1043 *Simile utraque crescere, usque, Triticum autem congregate in horreum meum.* Hinc habere docemur longanimitatem patientiae, ut longanimitate iustitiam meditemur, et in iudicio patientiam non negligamus.

Varia de Baptismo D. N. I. C.,
ex Ludolpho de Saxonia.

(VITA IESU CHRISTI, PARS I, CAP. 21.)

1044 **V**IDES itaque quomodo augmentata est Domini humilitas a praecedentibus. Ibi enim parentibus subditus erat; hic verbo se etiam servo subiecit, seque vilificat, ac servum iustificat et magnificat. Sed et in alio considera quomodo eius crevit humilitas. Nam usque modo conversatus est humilis, quasi inutilis et abiectus. Hic autem etiam peccator voluit apparere hominibus. Peccatoribus enim praedicabat Ioannes poenitentiam, et eos baptizabat, et Dominus Iesus inter eos et coram eis baptizari voluit, tanquam unus ex illis. Et licet idem dici posset de circumcisione, quia voluit peccator apparere; tamen hic plus est; quia coram turba publice, sed ibi magis occulte. Sed nonne timendum fuerat, cum ipse se amodo vellet intendere ad praedicandum, ne tanquam peccator sperneretur? Non propterea dimisit humilitatis magister, quin profundissime se humiliaret. Ipse ergo propter nos instruendos voluit apparere quod non erat, in sui abiectioem et despectionem; at nos et contra volumus apparere quod non sumus, in nostram gloriam et laudem. Si quid id nobis

videtur esse probitatis, ostendimus; defectus vero, qui in nobis sunt, celamus. Ex hoc etiam poteris eius humilitatem considerare, quod in suscipiendo baptismum, et in aliis quae secundum Legem debebantur, Dominus Legis et supra Legem existens faciebat ut ceteri homines, nec volebat ulla habere praerogativas speciales. Non sic multi in communi congregatione positi faciunt, qui praeceteris praerogativas singulares habere volunt.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XIII, 31-35.

1045 **I**n illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo; 32. quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus olebibus, et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant, et habitent in ramis eius.

33. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum coelorum fermento, quod accipit mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.

34. Haec omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas; et sine parabolis non loquebatur eis: 35. ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH., CAP. 13.

1045 **N**ON sit molestum lectori, si totas parabolae proponimus. Quae enim obscura sunt, plenius disserenda sunt, ne brevitate nimia involvantur magis sensus quam exponantur. Regnum coelorum, praedicatione Evangelii est, et notitia Scripturarum quae ducit ad vitam: et de qua dicitur ad Iudaeos: *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* (MATTH. XXI, 43). Simile est ergo huiusmodi regnum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo. Homo qui seminat in agro suo, a plerisque Salvatore intelligitur, quod in animis creditium seminat. Ab aliis, ipse homo seminat in agro suo, hoc est, in semetipso

et in corde suo. Quis est iste qui seminat, nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum praedicationis, et fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? Praedicatione Evangelii minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deum mortuum, et scandalum crucis praedicans. Confer huiusmodi doctrinam dogmatibus philosophorum, et libris eorum, splendori eloquentiae, et compositioni sermonum, et videbis quanto minor sit ceteris seminibus sementis Evangelii. Sed illa cum creverit, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque et mollium ebullit in olera, et in herbas, quae cito arescunt et corrumpunt. Haec autem praedicatione, quae parva videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sata fuerit, non exsurgit in olera, sed crescit in arborem; ita ut volucres caeli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas, sentire debemus) veniant et habitent in ramis eius. Ramos puto evangelicae arboris, quae de grano sinapis creverit, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquaque requiescit. Assumamus et nos pennas columbae (PSAL. LTV, 7), ut volitantes ad altiora, possibile habitare in ramis huius arboris, et nidulos nobis facere doctrinarum, terrinaeque fugientes, ad coelestia festinare. Multi legentes granum sinapis minimum omnibus seminibus, et illud quod in Evangelio a discipulis dicitur: *Domine, adauge nobis fidem* (LUC. XVII, 5); et respondetur eis a Salvatore: *Amen dico vobis, si habueritis fidem quasi grammum sinapis, et dixeritis monti huic, migra de loco isto, migrabit* (Ibid. 6), putant Apostolos vel parvam fidem petere, vel Do-